



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si  
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas  
Semper Adest**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

§. 6. Vindicandi animus, qui non necessarijs apellationibus inesse potest,  
SS. litteris aduersus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)



## §. VI.

*Vindicandi animus, qui non necessarijs appellationibus inesse potest, SS. literis aduersus.*

Ad eandem patientiam nos dirigunt doctrina & exempla Christi ac Sanctorū. Do-

Matth. 6. 12. *ctrina enim eius non est, vt oremus, Voca ad iudicium, & plecte inimicos nostros: sed: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quo modo dimittit,*

Matth. 5. 44. *qui aduersarium ad iudicem mittit? Non est hoc dare veniam, sed exigere pœnam. Aliud præceptum scripsit nobis Magister noster: Diligite inimicos vestros, inquit, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Citare illos ad iudicium, non est, pro illis, sed contra illos orare; non illos diligere; non benefacere, sed velle mori, sed velle illos iudicari & damnari, sed velle illis iustitiam diuinam immittere, non misericordiam impetrare. Quod etiam A-*

1. Thessal. 5. 15. *postolus gentium vetuit illis verbis: Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est, sectamini in inuicem, & in omnes. Contrarium prorsus faciunt, qui iustissimam talionis legem existimantes, non bonum pro malo, sed malum pro malo, dentem pro dente, mortem pro morte*  
red.



reddere, Paulo reclamante, petunt, formidando Dei decreto, inimicos suos è medio tolli, atque ad Tartareos ignes condemnari.

§. VII.

*Uindicta cupiditas, qua appellationibus eiusce-  
modi facile interuenit, Dei exemplo  
contraria est.*

Si quis exempla vult imitari, habet sanè exempla, atque in primis ipsius Dei. Quamobrem Christus, cum dixisset: *orate pro* Matth. 5.  
*persequentibus & calumniantibus vos, statim* 44.  
*exemplum subiungens dixit: ut sitis filij Patris  
vestri qui in caelis est: qui solem suum oriri facit  
super bonos & malos: & pluit super iustos & ini-  
ustos. Sedit, in caelis, Deus, & audit quo-  
tidie homines sibi maledicentes, impiòsque  
dirissimè conuiciantes ac blasphemantes; &  
noua semper scelera excogitantes, quan-  
tùmque in ipsis est, giganteo ausu, diuinam  
maiestatem è caelo deripere conantes: audit  
ista, & videt, & patitur. Quid dico, pati-  
tur? cum habeat potestatem mittere in ge-  
hennam, &, missis è nube fulminibus, ta-  
les exterminare; sustinet illos, *solem suum  
oriri facit* illis, pluuiam mittit, vt terra, ad  
eos alendos irrigetur: nec hoc tantùm fa-*